11.4131

131

Leo Kiszka Dei et Sanctae Sedis Apostolicae Gratiâ, Archiepiscopus, Metropolitanus Kioviensis Haliciensis, et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis, et Brestensis, Archiepiscopatus Polocensis, et Episcopatus Premisliensis Administrator, Abbas Supraslensis.

Universis et Singulis cuiuscunque Status Dignitatis, et Praeminentiae Sexûs vero utriusque Xti Fidelibus, Salutem in Domino. Noverint de Plenitudine Clementiae Sanctissimi in Xto Patris, ac Domini Nostri Clementissimi, Dni Clementis XI. Divinâ Providentiâ Papae Romani concessam esse Nobis facultatem ad Decennium valituram, Indulto Româ emanato, sub Die Decima Octava Januarij in Anno praesenti Millesimo Septingentesimo Decimo Quinto, eligendi Ecclesias Ritûs Graeci, cum Sancta Romana Ecclesia Uniti, ac in iis Altaria Nobis bene visa per Archidioecesim Nostram Metropolitanam Situata, dummodo in ijs quotidie tres omnino Missae celebrentur, in quibus Sacerdotes Sacrosanctas Celebrantes Liturgias, Domini Nostri IESU Xti Eiusque Sanctorum Suffragijs adiutas ex Purgatorij Poenis ad Aeternam Salutem Animas Fidelium Defunctorum perducere valeant, in Die Commemorationis Defunctorum, et Singulis Diebus intra Octavam illius, ac in Die a Nobis designando quavis Hebdomada, Proinde ne Huiusmodi Sanctae Sedis Apostolicae Gratia Sterilescat, ac Animae Fidelium Defunctorum simili priventur Beneficio, Ecclesiam Regularem Zyrovicensem Tituli Assumptae Mariae huiusce Indulti participem facimus, et Diem quidem in quavis Hebdomada Mercurij et Veneris, Altare vero Vivificae Crucis assignamus. Praesentibus ad Novennium tantum valituris, vel ad eam Diem, quâ contigerit Sex Missas, in Ecclesia Dicta non celebrari, tunc enim Praesentes Literas de Mandato Sanctae Sedis Apostolicae nullas esse et invalidas fore ipso actu declaramus. In Quorum Fidem Dabantur ad Cathedram Nostram, Vladimiriae. Die Vigesima Mensis Octobris, 1715. Anno.

Leo Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae m.p.a.

Nicolaus Laszczewski Sus
Illrmae Celsitudinis, Notarius

+

Indultum pro liberatione
Animae e Purgatorio, Ipso
vivendi Eccl.ae et Altari
Portico Crucis applicando
An.o 1715 20 8bris ad Noven-
nium tum valituram.
v ad eam diem qua Sex Missae
non celebrarent.

~~Fasc. 9.~~

Fasc. 1 Stili. 2. A 1

Pro die Mercurij
et die Veneris

131

LEO KISZKA ARCHIEPISCOPUS METROPOLITANUS TOTIUS RUSSIAE EPISCO
BRESTEN. ARCHIMANDRITA

...rum, Vladimiriae, Die Vigesima ...

...anus

Vic...

Sp...